Historia ecclesiastica

Nestorius Haeresiarcha.

Sartorii Johannis: De Nestorio haeresiarcha Meletema I et II.

Thorunii ap. Joh. Balt. Bresleri. 1698.

Quod DEUS Bene Vertat!

Meletema Historico-Ecclesiasticum

posterius,

DE

NESTORIO HÆRESIARCHA,

quod

PRÆSIDE

M. JOHANNE SARTORIO,

Gymn. Thorun. Prof. Publ.

publice tuebitur

GEORGIUS CHRISTOPHORUS Hentschel/

Lesna-Polonus,

Gymnasio valedicturus.

Habebitur in Auditorio Maximo, A. O. R. M. DC. IIC.

d. XX. Martii, Hor. consvet.

Thoruni,

opera Joh. Balthas. Bresleri, *Gymn. Typogr.*

VIRIS
Plurimum Reverendis, Amplissimis, Præclarissimis,
Doctissimisqve,

DN. M. ZACHARIÆ Herrmann/
Ecclesiarum August. Conf. Invar. per Polon. Maj. Seniori gravissimo, Lesnensiumqve Pastori Primario.

DN. M. LAURENTIO Puschmann/
Eccl. Lesn. Archi-Diacono, & Unitarum Con-Seniori meritissimo.

DN. JEREMIÆ Hentschel/
Eccl. Lesn. Diacono dignissimo.

DN. M. EMERICO FRIDVALDSKI,
Scholæ Lesn. Rectori optime merito.

Dominis Patronis, Promotoribus, Affini, Hospiti quondam ac Præceptori, summo honoris cultu devenerandis,

Meletema hocce in perpetuam observantiæ tesseram sacrum esse cupit

GEORGIUS CHRISTOPHORUS Hentschel/
Respondens.

In Nomine JESU!

CONSPECTUS THESIUM.

Causa *Nestorii* ad Impp. delata. Cleri Orientalis libellus supplex. 1. Sacra Imperatoria ad *Cyrillum* scripta. Concilium Ephesinum. 2. Ostenditur, Concilium non fuisse a *Cœlestino* R. E. indictum. 3. Ejus Præsides. *Baronii* & *Natalis Alexandri* in Curiam R. immoderata propensio. 4. Patres præcipui in Concilio congregati. *Johannis Antiocheni* diuturnior mora. Ordo Synodalis. *Nestorii* causa examinata. 5. Decretum abdicationis. 6. *Johannis Antiocheni* turbæ. Conciliabulum Ephesinum. 7. Synodi in Johannem sententia. Literæ supplices ad Imp. directæ. 8. Theodosii in Patres Ephesinos ira. Ejusdem literæ inclementius ad Synodum scriptæ. 9. Patrum Ephesinorum sententia ab Impp. approbata. 10. *Nestorii* condemnatio, exilium, mors. 11. Ejus errores expenduntur. 12. seqq.

I.

NEstorio in sententia erronea obfirmato, cum intractabilem virum nulla corrigendi spes superesset, omnis tandem causa ad Imperatores, Theodosium II, qvi in Oriente, & Valentinianum III, qvi in Occidente rerum potiebantur, (ita enim character Διαρχίας t. t. obtinuit) a partibus litigantibus remissa est. Et Theodosium quidem, libello supplici ab Archimandritis ac Monachis CPli degentibus scripto, quamprimum dogmata Nestoriana in vulgus spargi cœpissent, graviter jam tum fuisse interpellatum, ut coercendæ hæresi synodum maturaret, manifeste comprobant sequentia verba, quibus solenniter protestantur, si post has preces, Ecclesiæ causa negligatur, se insontes excusatosqve apud Deum futuros, ut qvi Imperatoriam dignitatem officii sui fideliter admonere non omiserint. *Quamobrem*, ita sonat libellus supplex, (a) *iterum atqve iterum immortalem piißimamqve fidem Vestram obtestamur, ne orthodoxam Ecclesiam orthodoxi piißimiqve regni Vestri temporibus, ab hæreticis adulterari ultra permittatis. Non expetimus contumelias indigne nobis illatas vindicari; Deus novit: desideramus autem Christianæ fidei fundamentum inconcussum immmotumqve persistere. Vestra proinde Majestas efficiet, ut sacra & œcumenica synodus primo quoqve tempore huc coeat; qvo hac præsente Christus sanctißimam Ecclesiam uniat, populumqve in unum reducat, ac sacerdotes sinceræ fidei prædicatores, priusquam impia illa doctrina latius serpat, loco suo restituat.* Item sub

(a) Titulus hujus libelli est, *Basilii Diaconi, & reliquorum Monachorum supplicatio.* Extat *Tom. III. Concill.* a Labbeo & Cossartio editorum *p.* 425. Inprimis allegata verba leguntur *p.* 429. & 432.

ſub calcem libelli: *Quodſi noſtram ſupplicationem pro nihilo habueritis, Vos coram immortali ſeculorum Rege, inviſibili, ſolo ſapiente Deo &c. innocentiæ noſtræ teſtes appellamus. Nos enim Vos de œcumenica ſynodo cogendæ rogavimus, qvæ aptiſſime poſſet conſtabilire & erigere titubantia, ſive etiam confracta.*

II.

Sacra igitur Imperatoria, utriuſqve Imperatoris, ad Cyrillum Alexandrinum, omnesqve Metropolitanos (ne quidem Romano excepto) tranſmiſſa, eos ad diem Pentecoſtes A. C. 431. (b) Epheſi congregari jubet, ut de controverſia Neſtorii accurate cognoſcant. Extat diploma in ſacra Imperatoria ad Cyrillum, & Epiſcopos Metropolitanos Provinciarum, (c) cujus potior tenor (eſt enim prolixior, quam ut tota adſcribi poſſit) ita ſe habet: *De hac autem ſanctiſſima ſynodo Noſtra Serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Epiſcopos Metropolitanos literas ſcripſit; quo nimirum hac ratione turbæ, qvæ ex multis diſſidiis & concertationibus hinc inde enatæ ſunt, ſecundum eccleſiaſticos canones conſopiantur; & illa præterea, quæ parum decenter hactenus admiſſa ſunt, corrigantur; & pietatis deniqve, qvæ in Deum eſt, publicæqve utilitatis firmitati conſulatur. Nulla interim ante ſanctiſſimam coactam ſynodum, communemqve ejuſdem, quæ de omnibus dabitur, ſententiam, facta privatim a quibuſcunqve innovatione. Omnino autem perſvaſum habemus, neminem ex Deo devotiſſimis Epiſcopis fore, qui ſimul atqve rerum Eccleſiaſticarum, atqve adeo negotiorum totius orbis gratia, noſtræ hac ſanctione ſanctiſſimam ſynodum vehementer ſolicitari intellexerit, non propere ſtudioſeqve occurſurus, rebuſqve tantopere neceſſariis, ac Deo uſqve adeo gratis, pro virili conſulturus ſit. Nos quoqve harum rerum curæ ſedulo incumbentes, nullum æqvo animo abeſſe ſinemus, nec ullam ille vel apud Deum, vel apud Nos habiturus eſt excuſationem, qui ſtatim impigre ſecundum ſignificatum tempus ad deſtinatum locum præſto non fuerit.*

III.

Configere hæc deberent Baronii, Bellarmini, imo omnium cornicum oculos, judicio EDMUNDI RICHERII; (d) qui dum Concilii hujus indictionem ab Imperatoria Majeſtate factam intelligunt; modo ut Curiæ Romanæ proſint, eam Cœleſtino Epiſcopo nihilominus ferunt acceptum. At profecto citra rem, imo citra Eccleſiæ tum temporis praxin,

(b) Ut recte ſtatuunt Calviſius *Opere Chronol. p.* 590. & Dionyſ. Petav. *in Rationar. Tempp. Part. I. lib. VI. p. m.* 309. (c) Sacram hanc Imperatoriam reperias in Conciliis Severini Binii, *Tomo I. Part. II. cap. 32. p.* 158. at in Conciliis ad Regiam editionem a Labbeo & Coſſartio exactis, (qvæ hic perpetuo ſequimur) *Tom. III. Part. I. c. 32. pag.* 435. (d) *lib. I. Hiſt. Concill. cap. VII. num. 2. pag.* 278.

xin, qvæ ut auctoritatem Romani Episcopi, in decidendis fidei controversiis, exiguam admodum; ita in indicendis œcumenicis Conciliis nullam agnovit. Mox Seculo II. post Christum natum, movebatur quæstio de tempore Paschatis celebrandi, Orientalibus Ecclesiis illud decima quarta luna cum Judæis; Occidentalibus contra die Dominico celebrari contendentibus. Hac in re Aniceti, ea ætate Romani Episcopi auctoritatem, adeo non æstimarunt Doctores Ecclesiæ, ut potius insuper haberent; & inter hos ipse quidem Polycarpus, Smyrnensis Antistes, ut ex Irenæo testatur EUSEBIUS. (e) Nec juvit Victorem, Aniceti in Cathedra eodem seculo successorem, impotens zelus, qvo Asiaticas Ecclesias a more consveto præfracte avocaverat: utpote, cui Polycrates, Ephesiorum Præsul, mascule restitit, laudatus ea propter ab HIERONYMO. (f) Imo, qva auctoritate Romæ hanc in rem synodum coegerat Victor; eadem, referente EUSEBIO, (g) coegerunt Theophilus Cæsareæ in Palæstina, Irenæus in Gallia, Palmas in Ponto, Bacchyllus in Achaja, Polycrates in Asia: non equidem auctoritate Romani Antistitis, (quandoquidem contra ipsum pleræqve synodi congregatæ fuere) sed earum Ecclesiarum, quibus unusquisqve Episcopus præerat. Seculo III. agitabatur controversia, de rebaptizandis hæreticis, inter Stephanum Romanum, & Africanos Episcopos; in qua CYPRIANUS adeo non stetit judicio Stephani, ut potius graviter eum insectaretur. (h) Cumve super quæstione de recipiendis Lapsis, contra Novatianos, Romæ synodum coegisset Cornelius, loci Pontifex; coegit non minus in Africa alias duas idem Cyprianus. (i) Qvæ hic prærogativa Cornelii præ Carthaginensium Pontifice? Sic Antiochenam synodum, in qua Paulus Samosatenus damnatus fuit, indixisse Episcopos communi consensu, quos malum proxime tangebat, & alios exteros etiam advocasse, docet epistola synodalis, apud EUSEBIUM legenda, (k) ubi hæc reperies verba: *Scripsimus etiam ad complures Episcopos longius dissitos: eosqve hortati sumus, ut*

 ad

(e) *Hist. Eccl. lib. V. c.* 24. edit. Henr. Vales. (f) *libr. de Script. Eccles.* (g) *Hist. Eccl. lib. V. cap.* 23. & 24. (h) *Epist. LXXIV.* ad Pompejum, *pag.* 210. *edit. Oxon.* in qva acerrime in Stephanum invehitur, eum obstinationis, superbiæ, patrocinii hæreticorum, & schismatis palam accusans. (i) De harum priore ita loquitur ipse Cyprianus *Epist. LV.* ad Antonianum *pag.* 102. *Cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua, & Domini tutela protexit,* IN UNUM CONVENIMUS. De posteriore autem sic scribit *Epist. LXXII.* ad Stephanum *p.* 196. *Ad quædam disponenda, & consilii communis examinatione limanda, necesse habuimus, frater charissime, convenientibus in unum pluribus sacerdotibus,* COGERE *& celebrare Concilium.* (k) *Hist. Eccl. lib. VII. cap.* 30.

ad exitialis doctrinæ morbum curandum accederent. Nam & ad Dionysium Alexandrinum, & ad Firmilianum Cappadociæ Antistitem, beatæ recordationis viros, literas dedimus, &c. En praxin Ecclesiæ, illis seculis receptam, qva Episcopi locorum, citra Romani auctoritatem, eo usqve synodos libere indixerunt, donec Constantinus M. fidem Christianam amplecteretur, atqve adeo Ecclesia Christiano Magistratu gauderet. Quippe quod per defectum Oecumenici Principis fieri non potuit, id, mutata temporum rerumqve facie, fieri tandem cœpit, ut Conciliorum indicendorum potestas penes solos Imperatores consisteret. Primum certe Concilium Oecumenicum, Nicææ in Bithynia contra Arium habitum, non Sylvester Romanus Episcopus t. t. sed Constantinus M. sua auctoritate indixit. (l) Parem in modum Concilii II. Oecumenici, CPli adversus Macedonium coacti, non Damasus tunc Antistes Romanus, sed Theodosius I. auctor fuit, teste SOCRATE: (m) *Posthæc Imperator,* inquit, *nihil cunctatus suæ fidei Episcoporum Concilium convocat, qvo & Nicæna fides confirmaretur, & Constantinopoli ordinaretur Episcopus.* Proinde neqve hoc Concilium Ephesinum, Oecumenicum alias III. Cœlestinus Pontifex, sed Theodosius II. propria auctoritate indixisse dicendus est. Sic enim idem SOCRATES: (n) *Haut multo post Imperator* EDICTO PROPOSITO *omnes undiqve Episcopos, ad civitatem Ephesiorum convocavit.* Gemina prodit EVAGRIUS (o) dicens: *Igitur Theodosius synodum* INDIXIT *die sanctæ Pentecostes, quo die vivificus Dei Spiritus in nos descendit.* Imo, ipse Cœlestinus, epistola ad Theodosium de synodi indictione perscripta, sic Imperatorem alloquitur: (p) *Sed huic cœlesti curæ vel gloriæ unusquisqve nostrum, pro sacerdotali officio operam nostram, in quantum valemus, impendimus, & huic synodo,* QUAM ESSE JUSSISTIS, *nostram præsentiam in his quos misimus, exhibemus, pietatem Vestram sub divini obsecrantes obtestatione judicii, ne quid turbidæ novitati licere Vestra mansvetudo permittat, neve facultas aliqua, his qui divinæ majestatis potentiam in humanæ disputationis rationem arctare contendunt, quo perturbetur pax Ecclesiastica, attribuatur.* Audis Cœlestinum diserte fateri, Imperatorem JUSSISSE hanc synodum ab Episcopis habendam.

IV.

Episcopis ad indictam synodum undiqve confluentibus, præsidis officio (qvoad ordinem rerum ventilandarum) non Cœlestinus vicissim, sed

(l) Vid. Euseb. *lib. III. de Vita Constantini M. cap. VI.* (m) *lib. V. c. 8.* cui jungi possunt Sozomenus *lib. VII. c. 7.* Theodoretus *lib. V. c. 6.* & Niceph. Callistus *lib. XII. c. 10.* (n) *lib. VII. cap. 34.* (o) *lib. I. cap 3.* (p) Extat *Tom. III. Concill. p. 619.*

sed Cyrillus Alexandriæ Præsul functus est. Passim enim præses & Caput Concilii dicitur, cum Memnone Ephesiorum Episcopo. (q) Istud vero, quod BARONIUS scribit, (r) Philippum Ecclesiæ R. Presbyterum, quem Cœlestinus una cum Arcadio & Projecto Episcopis, ad synodum Ephesinam miserat, ideo vocis ac sedis prærogativam super alios Episcopos conseqvutum, qvia Cardinalis esset; istud, inquam, fabulam sapit, cum Cardinalitia dignitas iis temporibus nec nata esset, nec nota cuiquam. Neqve audiendus est NATALIS ALEXANDER, (s) Cœlestinum præsedisse per legatum suum Cyrillum contendens; quandoquidem nec Acta synodi eum ut Præsidem ullibi citant; nec Cyrillus unquam se illius vicarium appellavit, sed tantum Alexandriæ Episcopum. Vices quidem suas mandavit Cyrillo, cum hic Alexandriæ synodum adversus Nestorium cogeret; at in Concilio hocce Ephesino per suos legatos, Arcadium puta & Projectum Episcopos, itemqve Philippum Presbyterum, non per Cyrillum rem administravit. In externis vero præsides fuerunt ipsi Imperatores, idqve per Comites Irenæum & Candidianum, quorum hic ordini, æquabilitati, & asserendæ in synodo libertati, inprimis prospiceret. Sic enim loqvuntur in sacra ad synodum missa: (ſſ) *Igitur Candidianum, præclarissimum sacrorum domesticorum Comitem, ad sacram vestram synodum abire jussimus; sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nil quicquam commune habeat: (nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere) verum ut Monachos, & seculares, qvi hujus spectaculi causa vel eo nunc confluxerunt, vel imposterum confluent, ab eadem illa Civitate modis omnibus submoveat. -- -- Tum rursum, ut diligenter prospiciat, ne qua dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta increbescat, & sævæ tempestatis instar debacchata, sanctissimæ synodi vestræ consultationem, exactioremqve veritatis indagationem forte obturbet: sed ut iis, quæ dicuntur, rite perceptis, singuli inoffense, quod visum fuerit, in medium proponere, vel ab aliis propositum refutare qveant: ut ea tandem ratione, ubi per singulas propositiones exceptionesqve*

inqui-

(q) In relatione synodica ad Impp. pro restitutione Cyrilli & Memnonis, qvæ habetur *Tom. III. Concill. p.* 763. hæc sub calcem leguntur verba: *Obtestamur proinde Vestram Majestatem, ut tandem nos ab hac tribulatione liberet, Cyrillumqve & Memnonem, Deo devotissimos Episcopos, sanctæqve hujus synodi* PRINCIPES, *restitui nobis jubeat.* Leo vero, qui post Romanæ sedi præfuit, *Epist.* 47. ad synodum Chalcedonensem: *Prioris autem,* inquit, *Ephesinæ synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc* PRÆSEDIT, *in Nestorium specialiter statuta permaneant.* (r) *Tom. V. Annal. ad A. C.* 430. (s) *Hist. Eccl. Sec. V. Part. II. Dissert. VII. p.* 218. (ſſ) Quæ continentur *Tom. III. Concill. pag.* 441.

inquisitio citra ullam omnino turbam contentionemqve habita fuerit, quod omnibus placitum probatumqve erit, communi vestræ sanctitatis sententia constituatur, decernaturqve.

V.

Ubi dies Concilii ab Impp. indictus affulsit, actutum Nestorius cum complicibus Ephesum advolavit; mox Cyrillus quoqve & Juvenalis Hierosolymitanus, itemqve Berula Diaconus, nomine Capreoli, Carthaginensis Episcopi. Sequebatur hos magna Antistitum series, quorum numerus supra ducentos excreverat: inter quos eminebant Firmus Cæsareæ Cappadociæ, Flavianus Philippensium, Acatius Melitenæ, Theodorus Ancyræ, Cyrus Aphrodisiadis, & Perigenes Corinthi Antistites, uti videre est ex sententia depositionis contra Nestorium lata, (t) cui Patres in Concilio congregati subscripserunt. Augustinum quoqve, Hipponensium in Africa Præsulem, per literas ab Imperatore fuisse accersitum, sed morte præventum, [fato enim concessit d. 28. Aug. A. C. 430. ætatis suæ 76. Episcopatus gesti 35. (u)] docet epistola Capreoli, ad synodum Ephesinam data, (v) qva expresse declarat, Theodosium misisse literas in Africam ad S. Augustinum, pro Concilii Ephesini indictione, atqve inter alia flagitasse ejus præsentiam, qui nuper vita esset defunctus. At Johannes Antiochenus diutius in itinere hærens, scripta ad Cyrillum epistola, (x) moram excusavit, causam ob longinquitatem ac molestiam itineris interferens. Cum vero istius adventus (quem in decimum quintum diem a præscripto termino extraxerat) frustra expectaretur, tandem ad synodum itum est, in æde B. Mariæ, decimo Calendas Julias (y) auspicandam. In medio Patrum consessu collocatum fuit S. Evangelium, cujus intuitu omnes admonerentur, rem sibi esse coram tremendo Dei judicio, summo rerum omnium præside, falli nescio. Itaqve auspicium synodi a sacris Imperatoriis factum est, per Firmum Cæsareensem: ea fini publice lectis, ut cujus auctoritate tanta panegyris esset coacta, singulis palam innotesceret. His decenter præmissis, Patres Nestorium canonice vocant, qui vero accersitus, quod rem omnem in Johannis Antiocheni absentiam rejiceret, sui comparitionem detrectavit. Postera abhinc die secundo ac tertio mittuntur Episcopi, qvi illum synodi nomine convenirent: qui cum totam diem præ foribus opperiuntur, nihil præter convicia reportant: sed & a satellitibus, qui Nestorianam domum cinxerant, petulanter accepti pulsatiqve discedunt. Frustra tentatis omnibus, qvæ insanienti Nestorio mederi potuis-

(t) *Ibid. p.* 533. *seqq.* (u) Conf. Gvil. Cave *Hist. liter. p.* 169. (v) Extat *Tom. III. Concill. p.* 529. (x) *Ibid. p.* 441. (y) Vincentius Lirinensis *Commonit. cap.* 42.

potuissent, ne omne tempus diffidendo inutiliter consumeretur, itum est ad synodicam causæ dijudicationem. Publice proinde pronutiantur Nicænæ fidei symbolum, & cum Cyrilli ad Nestorium, tum Nestorii ad Cyrillum literæ: conciones præterea, epistolæ, libelli ac tractatus Nestorii; qvæ omnia a Nicæna fide, sanctiorumqve Patrum sententiis, qvæ hinc quam plurimæ sunt in medium prolatæ, abhorrere judicata sunt. Postremo producti atqve auditi sunt quidam viri graves, Acacius Melitenus, & Theodorus Ancyranus Episcopi, qui de Nestorio adversus Christum ac Deiparam Virginem testimonium dixere. (z)

VI.

His auditis, ex suggestione Flaviani, Philippensis Episcopi, multis testimoniis ex Scriptura ac Patribus allatis, demonstratum est, incarnationem Verbi divini, indivise & inconfuse in utero B. Mariæ Virginis factam esse: ab hac orthodoxa PP. & Ecclesiæ doctrina, scripta Nestorii discrepare & multum abhorrere, ex ejusdem quaternionibus, in synodo legi jussis, universis est manifestatum. Lectis postea & approbatis Capreoli Carthaginensis Episcopi literis, sententia damnationis hujusmodi in eum lata est: (aa) *Cum præter cætera impurissimus Nestorius neqve nostræ citationi parere, neqve sanctissimos religiosissimosqve Episcopos a nobis destinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum quæ impie docuit, examinationem animum non adjungere. Deprehendentes itaqve partim ex literis commentariisqve ipsius, partim e sermonibus, quos nuperrime in hac Ephesiorum Metropoli habuit; quiq; testimoniis comperti sunt, illum impie sentire & prædicare: coacti per sacros canones & epistolam sanctissimi Patris nostri & Comministri Cœlestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc synodum eundem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse definit.* Quod solenne abdicationis decretum, quemadmodum Episcoporum omnium subscriptionibus munitum, & ad Imperatorem Theodosium (nequidquam contranitente Candidiano, qui literas ad Imp. synodaliter scriptas, terra mariqve intercipere conatus est) perlatum erat; ita illud statim præcones magna cum pompa tota urbe circumtulere; nec voce tantum, sed

 affixis

(z) *Act. I.* non longe a principio, uti legere est ex Hist. Concil. Ephesini apud Binium *Tom. I. Part. I. Concill. p. 3. & Tom. III. Concill.* Labb. & Cossart. *pag. 5.* (aa) Extat hæc sententia depositionis a sancta synodo contra Nestorium lata, *Part. II. Concil. Ephes. Actione I. cap. 3. p. 533.* Conf. Evagrius *lib. I. Hist. Eccl. cap. 4.*

affixis etiam publice ſyngraphis promulgarunt. Quin & populus, (bb) qvi ab ortu ſolis ad veſperam, ſynodi judicium expectaverat avide, incredibili voluptate perfuſus, collucentibus tædis ac funalibus, domum deduxit Epiſcopos; prætereuntibus thura & odores incendit; impiiſſimiqve hominis condemnationem, acclamatione ac plauſu mirum quantum excepit.

VII.

Biduo a ſententia abdicationis elapſo, Epheſum acceſſit Johannes Antiochenus, indigniſſime ferens, cum quod ſe abſente ac inconſulto damnatus eſſet Neſtorius, tum quod Cyrilli anathematiſmos (de quibus perperam ſentiebat) omnium ſententiis approbatos intelligeret. Itaqve velut ulturus injuriam, Patribus in ſynodo congregatis adeſſe noluit, multis licet precibus amiciſſime invitatus. Audiamus hanc in rem LIBERATUM (cc) ita ſcribentem: *Atqui ſemel & iterum, & tertio itidem, quo cauſam diceret, accerſitus, ſacræ ſe ſynodo ſiſtere detrectavit, dubio procul, quod rationes, quibus ſtabiliret opinionem, non eſſent in promtu: militibus vero ac armis domum, in qua diverſabatur, circumſepiens, neqve ſanctiſſimos Epiſcopos a ſynodo miſſos admiſit; neqve in ſacra ſynodo congregatos, ullo prorſus reſponſo, ut par erat, dignari voluit.* Imo, ut eo magis moleſtus foret, coactis circiter triginta Epiſcopis, maximam partem hæreticis, ſaltem de hæreſi ſuſpectis, quoddam ſeorſim Conciliabulum alteri magnæ legitimæqve opponit: in quo Cyrillum ac Memnonem Apollinariſmi falſo inſimulatos, indicta cauſa ab Epiſcopali dignitate deponit; reliquos omnes, quod Cyrilli anathematiſmos (per Theodoretum Cyrenſem eapropter refutatos) condemnaſſent, excommunicat; (dd) deniq; Imperatorem per epiſtolam docet, Cyrillo ac Memnoni Epiſcopalem dignitatem legitimis judicum ſuffragiis ademtam fuiſſe. (ee)

IIX.

Tanta rei indignitate permoti Cyrillus ac Memnon, ſynodum rogant, ut Johannem Antiochenum commonefaciat, quatenus coram PP. conſeſſu demonſtret, ſe Apollinarii aſſeclas eſſe: vel ſi venire detrectet, nec probationes ſuas depromat, ipſe condemnationi ſubjaceat. Detulere Patres

(bb) *Act. I.* circa med. (cc) In Breviario, quod habetur *Tom. VI. Concill. Binii cap. 6.* (dd) Conf. de his libellum, per Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Epheſiorum Epiſcopos ſacræ ſynodo oblatum, eundemqve ab Heſychio Diacono, in pleno Patrum conſeſſu recitatum, qvi habetur *Part. II. Concil. Epheſ. Actione IV. p. 635. ſeqq.* It. Exemplum relationis, quam ſancta ſynodus ad piiſſimos Imperatores de orientalibus tranſmiſit, *ibid. Actione V. cap. 1. p. 655. ſeqq.* (ee) Vide relationem Orientalium ad Imperatorem, *ibid. pag. 698.*

Patres tam juſtæ petitioni, ſimulqve Johannem trium Epiſcoporum legatione monent, ut in ſynodum veniat, rationem eorum redditurus, quæ per ſummam injuriam in dictos Epiſcopos conſtituiſſet. Hærere ad iſta Johannes, averſari, trepidare; deniqve militum potius coronæ, quam bonæ cauſæ confidens, forum detrectare. Quocirca ſynodus Johannem, & quotquot a partibus illius ſtabant, ab eccleſiaſtica communione, donec ad meliorem frugem ſe recepiſſent, ſuſpendunt; nec minus ad Imperatorem Theodoſium, Conſtantinopoli tunc agentem, quicquid actum eſſet, bona fide perſcribunt; Eum præterea obnixe rogantes, ut ſynodum ſolvat, & Patres ad proprias ſedes redire jubeat: cum præſertim alii paupertate, alii morbo detineantur, alii ſenectute ita graventur, ut diutius in externa regione hærere neqveant. Totum terrarum orbem Concilii Epheſini fidem ac ſententiam amplecti, paucis exceptis, qui Neſtorii amicitiam, pietate potiorem exiſtiment.

IX.

Excanduit vehementer ſuper hæc Imperator, a Candidiano Comite, Neſtorii & Johannis Antiocheni ſtudiis corrupto, ſubreptitie informatus, rigidiore proinde epiſtola, hunc in modum reſcribens: (ff) *Magnificentiſſimi Candidiani devotorum domeſticorum comitis relatu, pietas Noſtra accepit, quædam in Epheſiorum Metropoli per tumultum, ac ſecus quam conveniat, transacta fuiſſe. Nam neqve omnes, ut decretum erat, piiſſimi Epiſcopi convenerunt, (cum tamen magnæ Antiochenæ civitatis Epiſcopus, cum aliis Metropolitanis jam appropinquaret) neqve illi qvi jam venerant, ſimul conſultaverunt, nec inter ſe conſenſerunt, neqve ea quæ de fide ſunt, modo qvo oportebat, vel prout continebatur ſacris literis noſtris, quas ſubinde miſimus, examinaverunt: ſed res ita geſta eſt, ut manifeſtum evaderet, alios aliis eſſe infenſos, ob vehemens ſtudium erga illa, quæ quomodocunqve placita ſunt, nec velamen prætendere valentes. Quare qvæ geſta ſunt, ſtudio acta eſſe, quilibet exiſtimaverit. Proinde Sacræ Majeſtati Noſtræ placuit, talem procedendi modum nullum habere locum aut momentum: his vero qvæ inepte aut citra ordinem geſta ſunt, ceſſantibus, doctrinam de pietate prius, ſicuti decretum fuit, diſcuti, eamqve juxta communem totius ſynodi ſententiam impoſterum obtinere. Neqve enim pietas Noſtra æquo fert animo præjudicia de induſtria præſumta: qvinimo, quæ geſta ſunt, uſqve adeo ægre fert, ut, donec pietatis dogmata ab univerſa ſynodo fuerint examinata, & quiſpiam e Sacro noſtro Palatio una cum Magnificentiſſimo Candidiano comite deſtinetur, qui Noſtro*

 juſſu,

(ff) Exemplum imperialium literarum per Palladium Magiſtrianum, ad ſynodum miſſarum, exhibetur *Tom. III. Concill. pag.* 703.

juſſu, qvæ acta ſunt cognoſcat, quiqve quæ legitimo ordini diſſentanea ſunt, prohibeat, neminem Epiſcoporum, qui convenerunt, ab Epheſiorum civitate abſcedere, vel ad Sacrum Noſtrum Comitatum venire, vel in ſuam patriam reverti, ullatenus ſit paſſura. Quod enim nulli hoc liceat, nullusve ſperet id tuto ſibi ſucceſſurum, hæ literæ ſufficient ad denunciandum pietati veſtræ, ne quid aliud, præter Noſtram juſſionem, jam ante perpetratis in poſterum adjiciat. Cæterum aliis quoqve literis Imperatores ad ſynodum ſcripſerunt, (gg) ſe approbaſſe, & acceptam habere Neſtorii, Cyrilli atqve Memnonis exauctorationem, falſo perſvaſi, Cyrillum ac Memnonem turbulente rem omnem egiſſe, indeqve ut factioſos homines jure fuiſſe exauctoratos.

X.

Sed emerſerunt ſe ex tali calumnia Cyrillus ac Memnon, poſtquam orthodoxi Epiſcopi in Concilio ſedentes, per Palladium Magiſtrianum certiorem feciſſent Theodoſium de omnibus geſtis: ſimul, quod Comes Candidianus Neſtorii & Johannis amicitiam pietati antetuliſſet. (hh) Quæ relatio quidem adeo emollivit Imperatoris animum, ut non modo ſeptem Epiſcopos, a Concilio ad ſe deſtinatos, humaniſſime exciperet, ſed & Acta ſynodi contra Neſtorium confirmaret; adhæc Johannem Antiochenum graviter per epiſtolam admoneret, quatenus cum Cyrillo rediret in gratiam, quæve in utriusqve præjudicium decreta fuiſſent, reſcinderentur. Idem Cyrillo & Johanni præcepit, quo ſeſe Nicomediam conferrent, reconciliationis ineundæ cauſa: feliciſſimo ſane eventu, cum depoſitis, quas inter ſe alebant, ſimultatibus, amiciſſime conſpirarent, iraqve in Neſtorii hæreſin verſa, orthodoxam ſententiam maſcule tuerentur. Interim diſſimulandum non eſt, hunc ipſum Johannem Antiochenum, & pleroſqve Orientales Epiſcopos, in vehementem quidem Neſtorianæ hæreſeos ſuſpicionem veniſſe, Neſtorii tamen perſonæ duntaxat, non cauſæ aut errori fuiſſe patrocinatos. Liquet id ex epiſtola, quam ad Neſtorium dedit præfatus Antiſtes, (ii) poſtquam e Cœleſtini atq; Cyrilli literis de ejus erroribus comperiſſet. Rogat quippe hæreſiarcham, ut epiſtolam ſuam ita legat, ne qva hinc animi perturbatio conſurgat, ex qua contentiones ſeditioneſqve admodum noxiæ ſæpe exoriantur. Neqve hanc rem parvi ducendam eſſe; quod diabolus

(gg) ut patet ex exemplo Sacræ, per Johannem ſacrorum Comitem ad ſynodum miſſæ, *ibid. p. 722.* (hh) *ibid. p. 746.* (ii) Extat *Part. I. Concil. Epheſ. cap. 25. pag. 388. ſeqq.* ubi diſerte aſſerit, hanc epiſtolam non ſuo duntaxat nomine, ſed & aliorum Epiſcoporum ſcriptam eſſe, puta Archelai, Apringii, Theodoreti, Heliadis, Meletii, & Macarii.

lus res initio minus recte habentes, per superbiam in eam magnitudinem evehere soleat, ut omnem postea curam medicinamqve respuant. Idem hominem humanissime obtestatur, ut sacram Virginem Deiparam appellet, & cum vocem, tum voci subjectam notionem admittat. *Ego vero non ad probrosam aliquam orationis correctionem*, (hisce amicissimis verbis virum in viam reducere conatur) *neqve ad puerilem palinodiam, ut sic loquar, pietatem tuam invito: sed qvia multi, ut intelligo, non infrequenter ex te audierunt, quod ipsam solam vocem, non piam quoqve ipsius vocis notionem averseris: -- ut ipso quoqve nomine admisso, sacram Virginem Mariam Deiparam appelles. ——— Hoc nostrum, quæso, consilium admitte; hæc per nos rogatus exequare, nullum dißidiis locum, nullum gliscenti novitati fomentum suppedites. -- -- Hæc ego, complures religiosißimos, tuæqve pietatis studiosißimos Episcopos apud me habens, quos tunc adesse contigit, cum infaustæ illæ literæ afferrentur, scribere volui; ratus ingenui amici officium, illudq; a promißione non alienum me præstiturum, si fraterno quodam consilio existimationem tuam, graviter hoc tempore laborantem, nonnihil sublevarem. Quocirca pietatem tuam rogo, ut ea, qvæ ob ecclesiæ tranquillitatem cum Dei timore, veraqve erga te charitate exposui, placido animo suscipias.* Ex quibus liquido patet, Johannem Antiochenum non tam a Nestorii persona, (cui omnino favebat) quam ejus doctrina fuisse aversum; modisqve omnibus contendisse, ut amicum infirmitate vel alio errore prolapsum, honeste erigeret.

XI.

Atqve ita quidem Nestorius, ceu putidum membrum ab Ecclesiæ corpore avulsus, decreto Imperatoris, ad Isidorum præfectum prætorio & Consulem scripto, in exilium missus est. Ita enim se habet antigraphum Imperatorii decreti: (kk) *Quare cum Nestorius, catholicæ ecclesiæ quondam sacerdos, nunc vero fidei proditor, tantorum scelerum mole oppressus teneatur; necessarium est, ut Nostræ Serenitatis sententiæ subjiciatur, calamitateqve moribus illius digna opprimatur, ut qui venerandis Ecclesiæ legibus abjectis, nefandæ hæreseos auctor extiterit: & dum illorum, quos proditionis suæ socios sibi adjunxit, fidem corrupit, alienæ corruptionis crimen in suam ipsius personam recepit. Tua proinde celebris dominatio, hac pragmatica sanctione, sive peculiari auctoritate ostensa, prædictum Nestorium ob admissam a se impietatem, in perpetuum exilium Petras deportari jubeat, omniaqve illius bona Ecclesiæ CPlitanæ addicat; qvo augustißimi loci illius opes, cujus ille sacra mysteria nuper prodidit, auctiores evadant. Hac enim ratione religio*

(kk) *Part. III. Concil. Ephes. cap. 15. pag. 1057.*

ſanctiſſimæ fidei, in mentibus hominum intacta perſeverabit, & Regni Noſtri felicitas religione munita florebit. Non diffiteor, EVAGRIUM (ll) alium exilii locum, quam qvi in decreto Imperatorio eſt expreſſus, ſubſtituere; dicentem, Neſtorio permiſſum fuiſſe, ut ad monaſterium Euprepii, unde prodierat, reverteretur, ſitum ante portas urbis Antiochiæ. Sed hic diſſenſus eſt levis, cum fieri potuerit, ut mitigata Principis ſententia, locus aſperior (mm) mitiore commutaretur. Quanquam ne ſic quidem exilii ſoliqve inclementiam evitaret. Nam cum blaſphemiarum non deſineret, Johanne Antiocheno (qvo amico uſus erat non ita pridem) ſollicitius urgente, (nn) in Oaſin ſive Ibin Ægypti relegatus eſt. Qvo in loco a Blemmiis urbem vaſtantibus captus, (oo) ſed ſtatim dimiſſus, Panopolin, Thebaidis oppidum, ſe contulit. Panopoli Elephantinam, ejusdem provinciæ oppidum, abducitur: dumqve in itinere adhuc eſſet, a Præſide revocatus, Panopolin redire juſſus eſt. Sed & inde Præſidis mandato, in alium quendam locum, Panopoli vicinum, deportatus, recenti demum Imperatoris decreto, incertam ſedem quarto exilii loco permutaverat. De morte ejus ita ſcribit EVAGRIUS, (pp) ipſum circa „ fines Thebaidis errantem, *terræ* tandem *alliſum* fuiſſe, indeqve velut „ alterum Arium, morte ſua denunciaſſe, cujuſmodi merces maneat il„ los, qvi adverſus Chriſtum impie loqvuntur. Idem vero Scriptor ſub „ calcem hiſtoriæ ſuæ memorat, ſe quendam legiſſe, de illius morte „ ita narrantem: eum lingva vermibus eroſa, ad graviora & ſempiter„ na ſupplicia migraviſſe.

XII.

Hæc ſunt fata Hæreſiarchæ infamis, qvi ut dignas ſuæ blaſphemiæ pœnas dedit, ita dubium non eſt, quin in doctrinam de Chriſto [totius Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ centrum, Eccleſiæ fundamentum, theſaurum ſpei noſtræ, fontem ſalutis & gratiæ, a quo deſcendunt omnia, ad ſalutem æternam nobis neceſſaria, (qq)] plane enormiter peccaret. Quanquam enim tam craſſæ ac obeſæ naris non eſſet, ut totidem verbis duas in Chriſto incarnato perſonas doceret: (rr) tamen cum & Unionem hypoſtaticam ſeu perſonalem duarum in Chriſto naturarum;

(ll) *lib. I. Hiſt. Eccl. cap. VII.* (mm) Conf. Plin. *Hiſt. natur. lib. VI. cap.* 28. & Strab. *lib. XVI. Rer. Geograph.* (nn) teſte eodem Evagrio *loc. prox. cit.* (oo) Vid. Gvil. Cave *in Hiſt. liter. p.* 230. (pp) *lib. I. H. E. cap. VII.* (qq) Judice B. Gerhardo *in Exegeſi Loc. Theol. Loc. de Perſ. & Offic. Chriſti* §. 1. (rr) Contrarium quippe teſtantur ipſi Patres Epheſini: neqve vel in Neſtorii ſcriptis, vel cum eo inſtitutis colloqviis, præſertim in Concilio Epheſino, iſtud facile reperias, quaſi directe & expreſſis verbis Chriſtum diviſiſſet in duos.

rarum; tum fluentem ex hac idiomatum communicationem, manifeste inficiaretur; per optimam ſane conſeqventiam dicendus erit, duas in Chriſto perſonas admiſiſſe.

XIII.

Equidem cum orthodoxi Patres formale Unionis Perſonalis in hoc poſuerint, quod hypoſtaſis Verbi ſit facta carnis hypoſtaſis, qva aſſerta neceſſario ſequitur, α) carni Chriſti hypoſtaſin Verbi eſſe communicatam, β) poſt factam incarnationem dari intimam naturarum unitarum περιχώρησιν ſive immeationem, γ) naturas haſce unitas eſſe ſibi invicem præſentiſſime præſentes; adeoqve δ) unum eſſe in Chriſto ὑφιστάμενον, unam perſonam: tum profecto Unionem hujuſmodi perſonalem inepte per συνάφειαν ſive conjunctionem explicavit Neſtorius, ratus hoc vocabulo ſatis commode ſe talem unionem expreſſiſſe, quam cæteroquin Orthodoxi inconfuſam, inconvertibilem, indiviſam, inſeparabilem, immutabilem, indiſſolubilem, indiſtantem appellant. Atqvi ita mentem ſuam ipſe recludit, diſputatione, quam habuit cum Cyrillo, dum ait: (ss) *Dic de aſſumente, quod Deus ſit: adjice de aſſumto, quod ſervi forma: infer poſtea* CONJUNCTIONIS *dignitatem, quod communis ſit duorum auctoritas, quod eadem ſit duorum dignitas, manentibus naturis, confitere dignitatis unitatem &c.* Sane, non deſtiterunt SS. Patres apud eundem inſtare, ut quid per *Conjunctionem* hujuſmodi intelligeret, dilucidius interpretaretur, qvum nuda conjunctio non ſufficiat ad exprimendum Unionis iſtius myſterium. CYRILLUS inprimis, iterato hominem monuit, quam hic conjunctionem accipi velit, num quam internam alias dicimus, num quam externam? Si internam, ſtatueret hypoſtaticam, juxta lingvam Orthodoxorum: ſin externam, crederet abſurdam inde conſequentiam, nos quoqve poſſidere divinam naturam, cum & in nobis ſit externa cum Deo conjunctio. *Quomodo aſſumtus eſt*, inquit, (tt) *eloquere? aut quonam conjunctus eſt modo? Nam ſiquidem ſecundum veram unionem, illam ſecundum hypoſtaſin dico; deſine tandem unitum dividere: Sin aſſumtionem iſtam ſeu* CONJUNCTIONEM *eſſe dicis externam, ac relativam, quomodo non advertis, in nobis etiam eſſe Deum, & nos illi conjungi relative, & participes nos factos eſſe divinæ naturæ.* Horum illi neutrum arriſit, neqve per hypoſtaſin, neqve per externam conjunctionem, ſed per modum induitionis, aſſumtionis & geſtationis, (vocabulis æqve obſcuris)

(ss) apud Cyrillum *Tom. V. Opp. lib. II.* contra Neſtorium. Cui addi poteſt Cyrilli Commonitorium ad Evlogium Presbyterum, extans *Part. III. Concil. Epheſ. cap. 87. p.* 1148. (tt) *Tom. V. Opp. lib. II.* contra Neſtorium.

obſcuris) naturas in Chriſto uniri, palam profitenti. (uu) Verum enim vero, præterquam quod hiſce vocabulis emphaſis Unionis hypoſtaticæ non ſatis exprimatur; decuiſſet profecto Neſtorium, ſi orthodoxorum mentem ſequi voluiſſet, lingvam etiam iſtorum imitari, nec ab unionis hypoſtaticæ termino abhorrere. Quanquam enim nec orthodoxis Patribus terminus *aſſumtionis* quandoqve diſpliceat; tamen mens ita loquentium penitius intuenda eſt: de qua liquido conſtat, πρόσληψιν ſeu aſſumtionem humanitatis in perſonam Verbi (aliter atqve Neſtorio viſum) conſtituiſſe in totius naturæ divinæ, cum integra natura humana in una τοῦ λόγου ὑποστάσει coalitione inconfuſa & impermixta: ita ut λόγος humanam naturam in ſuæ perſonæ unitatem receperit, eamqve ἀνυπόστατον, propria hypoſtaſi communicata in ſubſiſtendo terminaverit, humana vero natura eſſet terminata ac perſonata, & loco ſubſiſtentiæ propriæ meliorem, nempe divinam, acceperit.

XIV.

Multo etiam minus de communicatione Idiomatum recte ſenſit. Primum certe genus tale commentus eſt, ut Deo Chriſto tantum divinas proprietates tribueret, homini vero Chriſto tantum humanas: hominem ſcilicet, non Deum, natum fuiſſe ex Maria Virgine, crucifixum, mortuum, &c. Poſtquam enim a Cyrillo per epiſtolam (vv) admoneretur, eam eſſe Nicænæ ſynodi doctrinam, ut diſertis verbis affirmet, unigenitum Dei filium naturaliter ex Deo Patre natum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem Pater omnia condidit, deſcendiſſe, incarnatum & hominem factum, paſſum eſſe, tertia die reſurrexiſſe, & ad cœlos aſcendiſſe: quid ad hæc Neſtorius? inſcitiæ cujuſdam arguit Cyrillum, (xx) ut qui Patrum Nicænorum traditionem non recte aſſecutus, ſed temere arbitratus eſſet, *Verbum Patri coæternum, patibile ab illis fuiſſe traditum.* Ac ne quis de ejus ſententia adhuc dubitet, in eadem epiſtola, ad Cyrillum reſcripta, ſic loqui pergit: *In eo autem laudo, quod diſtinctionem naturarum, ſecundum divinitatis & humanitatis rationem, harumqve in una perſona conjunctionem prædicas;* quodqve Deum *Verbum altero ex muliere ortu minime indiguiſſe affirmas; & quod divinitatem pati non potuiſſe, diſerte pronuncias. Hæc enim re vera & orthodoxa, & vanis omnium hæreticorum circa Domini naturas opinationibus quam maxime adverſa*

(uu) Unde floſculi illi Neſtoriani: *Propter eum, qui induit, indutum veneror: propter inviſibilem, viſibilem.* Item: *Aſſumtus propter aſſumentem appellatur Deus.* (vv) *Part. I. Concil. Epheſ. cap. 8. p. 317.* (xx) Epiſtola ad Cyrillum ſcripta, quæ habetur *ibid. cap. 9. pag. 321.*

adversa sunt. At vero utrum reliqva occultam aliquam & incomprehensibilem sapientiam legentium auribus inferant, id tuæ solertiæ fuerit dijudicare. Mihi sane cum antecedentibus adeo non cohærere videntur, ut ea omnino quoqve evertere existimem. Etenim quem antea neqve patibilem, neqve secundæ generationis capacem prædicaveras, hunc ipsum rursum patibilem, nuperqve nescio quomodo productum asseveras: quasi vero qvæ in Dei Verbum naturaliter conveniunt, ea templi conjunctione abolita sint: aut parvi apud homines fieri debeat, templum illud nullo unquam peccato contaminatum, & a divina natura inseparabile, peccatorum nostrorum causa & natum & mortuum esse. Tandem ne plura loca hic accumulem, (yy) quid, quæso, clarius his verbis dici potest, quæ ut in anathematismis suis, Cyrillianis oppositis, passim; ita inprimis anathematismo VII (zz) sine fronte usurpat: *Si quis hominem, qvi in Virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, qvi ex utero Patris ante Luciferum natus est, & non magis propter unitionem eum, qvi est naturaliter unigenitus, Patris unigeniti appellatione confitetur participem factum &c. anathema sit.*

XV.

Quantopere etiam primum hoc Communicationis genus convellere studuerit, ex eo præterea satis effulget, quod literis ad Cœlestinum scriptis (aaa) beatam Virginem neget dicendam esse Deiparam, tum qvia Nicæni Patres ab hoc vocabulo abstinuerint: tum qvia Scripturæ ubiq; Virginem Matrem Christi, non Dei Verbi, & per Angelos, & per Apostolos prædicarint: tum etiam quod debeat esse parienti ὁμοούσιος nativitas, Dei autem commixtura nulla sit cum homine. Verum quidem est, nonnunquam phrasibus ad orthodoxiam compositis ita fuisse locutum, ut (bbb) palam assereret, α) Christum non esse solum hominem, β) non

statu-

(yy) Collegit plura hanc in rem, ex scriptis Nestorii, Nat. Alexander *loc. super. cit. p. 192. seqq.* (zz) Extat *Tom. III. Concill. p. 424.* (aaa) *Ibid. p. 350.* (bbb) α) probatur ex Serm. Nestorii XII. ubi ait: *In stupore dentium remaneat Paulus Samosatenus, qui nobis Dominicam humanitatem nudam a Deitate delirat, qui solam, præter divinitatem, fabulatur hanc, quæ semper conjuncta est, atqve connexa, quæ eadem ac pariter potest, quam Deus.* β) ex Serm. ejus XI. *Non enim habemus duos Christos, vel duos Filios, neqve est apud nos primus Christus & secundus; neqve alter & alter; neqve iterum alter filius, & iterum alter filius: sed idem ipse est duplex, non dignitate, sed natura.* γ) Ex Epistola II. ad Cœlestinum R. E. scripta, quæ habetur *Tom. III. Concill. pag. 312.* in qva invehitur in eos, qvi absurdam opinionem Arii seqvuntur. *Multus etiam nobis*, inquit, *labor hic celebratur, dum elaboramus eruere sordidissimam impietatem pessimæ opinionis Apollinaris & Arii de Ecclesia Dei. Nescio enim, quemadmodum quidam de ecclesiasticis quandam contemperationis imaginem deitate & humanitate unigeniti accipientes, ægrotant ægritudine prædictorum hæreticorum, dum & corporis passiones audent superfundere deitati unigeniti, & immutabilitatem deitatis ad naturam corpo-*

statuendos duos filios, aut Dominos, aut Christos, γ) naturas ambas in unam Verbi hypostasin convenire, δ) & beatam Virginem recte dici Deiparam: Sed hæc blandiloqva hominis lingva facile deprehendi potest, dummodo mens loquentis innotuerit. Nam α) Christum non esse solum hominem, eo duntaxat sensu asseruit, quasi extitisset aliquando sine Verbo: interim unionem carnis & verbi non hypostaticam ajebat, sed parastaticam seu habitudinalem. Quo fiebat, ut Deus esset quidem hominis, & homo Dei; non tamen Deus homo, & homo vicissim Deus. Unde porro seqvebatur, Verbum (contra expressam Scripturæ literam) non esse factum carnem, sed carnis tantum (per sociabilem conjunctionem) inhabitatorem. Id autem statuere, quid erat nisi Christum statuere solum hominem? Nisi malis & Mosen, in quo Deus habitabat, ita ut Pharaonis Deus etiam diceretur, solum hominem; sed & Nestoriano sensu Deum nuncupare. Hinc Cyrillus in defensione XII capitum a Theodoreti reprehensionibus, (ccc) *Aliquando* inquit, *unum dicit Christum & Filium, & Dominum, eundemqve Deum simul & hominem; aliquando vero Prophetarum mensuram ei dans, deiferum hominem appellat, ignorans fortaßis, quod illum nobis æqualem faciat; siquidem non est vere Deus, sed templum potius, utpote in qvo habitet Deus Verbum, sicut & in nobis.* Clerus vero CPlitanus in Contestatione publice proposita, [quod Nestorius ejusdem sit sententiæ cum Paulo Samosateno, ante CLX annos ab orthodoxis Episcopis anathemate condemnato] (ddd) verbis quidem paulo prolixioribus, sed recitatu dignis, scite larvam detrahit simulatori, dum scribit: *Paulus Samosatenus ait: Maria Verbum non peperit. Nestorius ab hujus sensu non recedens: Heus tu, bone vir, Maria divinitatem non edidit. Addit Paulus: Neqve enim erat ante secula: Nestorius ait: Divinitati, quæ tempora condidit, matrem temporaneam adsignant. Rursum Paulus: Maria Verbum suscepit; neqve est antiqvior verbo. Nestorius ait: Qui fieri qveat, ut Maria ex se genuerit antiqviorem se? Paulus ait: Maria edidit hominem nobis aßimilem. Nestorius dicit: Qui ex Virgine natus est, homo est. Paulus ait: Atqvi per omnia nobis præstantior est. Nam de Spiritu Sancto est, divinisqve editus promißis, & juxta Scripturam gratia illi data est. Nestorius ait: Vidi Spiritum descendentem quasi columbam, & manentem super illum, nec non ascensionis vim illi impertientem: quandoquidem præcipiens Apostolis, quos elegerat, per Spiritum Sanctum assumtus est. Hic igitur ille est, qvi hanc tantam gloriam Christo impertitus est. Paulus ait: Ut neqve is, qui genere ex David ducto inunctus est, a sapientia alienus sit; neqve tantam sapientiam in alio quopiam, quanta in ipso, extitisse putemus. Sane fuit illa in Prophetis, sed amplior in Moyse: fuit in multis sanctis; at vero in Christo, tanquam in Dei templo, amplißima extitit. Idem in alio loco alium docet esse Jesum Christum; alium rursus Deum Verbum. Nestorius ait: Fieri nequit, eum qvi ante omnia secula natus est, denuo nasci, idqve secundum divinitatem. En manifestus legis transgressor deprehenditur Nestorius, ut qvi eum, qvi ex Patre genitus est, natum ex sacra Virgine neget. En Paulo Samosateno hæretico, qvi alium*

asserit

ris transiisse confingunt, & utramqve naturam, quæ per conjunctionem summam & inconfusam in una persona unigeniti adoratur, contemperationis mutabilitate confundunt. δ) Ex ipsius Serm. VI. ubi ait: *Dixi jam sæpius, si quis inter vos simplicior, sive inter quoscunqve alios, voce has* Θεοτόκος *gaudet; apud me nulla est de voce invidia, tantum ne Virginem faciat Deam.* Item ex Serm. XI. (quæ sane verba, si accuratius expendas, juraveris hominem fuisse Orthodoxotatum) *Filius Dei natus est Deus, Verbum & homo: ergo quæ peperit, propter unitatem dicatur Dei genitrix, id est,* Θεοτόκος. (ccc) *Part. III. Concil. Ephes. cap. III. pag. 917.* (ddd) *ibid. Part. I. cap. XIII. pag. 337.*

asserit esse Verbum, & alium Jesum Christum, neqve unum esse, ut orthodoxa profitetur Ecclesia, planissime adstipulatur. Idem β) non minori fraude Christum unum Filium ac Dominum docuit. Unum, non hypostasi, sed mera conjunctione, qva Unigenito Dei conjungebatur ut templum inhabitatori. Egregiam, si diis placet, unionis personalis explicationem, in qva homo vaferrimus, depravatis Evangelistæ verbis (Joh. I. v. 14) ad incrustandum pessimum dogma, subdole usus est. Quam animi versipellis malitiam probe detexit CYRILLUS, (eee) tali elencho eam castigans: *Sed neqve Dei Verbum in sacræ Virginis Filio, veluti in communi quodam homine inhabitasse dicimus, ne Christus deifer homo esse intelligatur. Nam licet Verbum in nobis habitarit, omnemqve divinitatis plenitudinem corporaliter in Christo inhabitare, literis proditum sit; attamen non ita in illo habitavit, ut in sanctis inhabitare dicitur.* Atqve ut γ) idem gravissimus Antistes omnem elabendi viam adversario præcluderet, opinanti, naturas ambas in unam Verbi hypostasin convenisse, indeqve unam quidem in Christo personam admittendam, sed unitate morali; quandoquidem Incarnatione Verbi facta esset una & eadem Dei & hominis dignitas, auctoritas, & potestas; illico hæc superioribus annectit: *Unus itaqve est Christus & Filius & Dominus; non ita, quasi homo eam tantum cum Deo conjunctionem sortitus sit, qvæ in sola dignitatis vel auctoritatis unitate posita sit: non enim honoris æqualitas naturas unit: alioqui Petrus & Johannes, qui paris dignitatis extiterunt, quatenus scilicet Apostoli ac sancti discipuli, unus essent, non duo: -- -- imo vero conjunctionis vocabulum, tanquam ad unionem hanc exprimendam non satis idoneum, repudiamus: -- sed Verbum Dei, ut sæpe jam admonuimus, carni secundum hypostasin unitum dicimus,* &c. Et mox: *Cavemus etiam hoc modo loqui de Christo: Propter eum qui induit, indutum veneror: & propter invisibilem visibilem adoro. Præterea & hoc quoqve non absqve horrore dicitur; Assumtus una cum assumente coexistit Deus. Qvi enim hoc modo loqvuntur, unum rursus Christum in duos dividunt, & hominem per se seorsum, & Deum similiter per se seorsum collocant, veramqve unionem hac ratione apertissime inficiantur.* Deniqve δ) beatam Virginem nihil minus quam Deiparam Nestorio videri, docent ea, quæ superiori meletemate §. IX. ex Evagrio, Theodoreto, imo ipso Nestorio fuere allegata. (fff)

XVI.

Nec minus in altero Communicationis Idiomatum genere, graviter hallucinatus est Nestorius, quod Humanam Christi naturam & cultu adorationis defraudaret, & poténtia vivificandi privaret, per & propter unionis gratiam eidem competente. Utrumqve Carni Christi attribuit veneranda antiquitas; derogat utrumqve Nestorius. Ad cultum adorationis quod attinet, constat ex CYRILLO, (ggg) Nestorium aliam adorationem tribuisse Christo, ut homini; aliam ut Deo. Finxit enim hominem Christum, ut seorsim subsistentem, cum Deo Verbo coadorandum, ceu dignitatis æqualitate ornatum. *Confitemur* (sunt verba Nestorii a Cyrillo allegata) *in homine Deum; colimus divina conjunctione Deo Verbo coadorandum hominem.* Sed nos, bone vir, ideo in Christum credimus, & cultum religiosæ adorationis ipsi deferimus, qvia non homo tantum, sed & verus Deus est; & divinitas Verbi, carni hypostatice est unita.

Paria

(eee) Epist. ad Nestorium de excommunicatione, legenda *Part. I. C. E. cap. 26. num. IV. p. 400.* (fff) Sane ipse Nestorius ita suam sententiam concepit, ut aliud esse conjunctum diceret nato, & aliud nasci, *Quatern. 24.* Deum videlicet conjunctum esse nato ex Maria, contendebat; at Deum esse natum ex Maria, negabat & pernegabat. (ggg) *Apologetico pro duodecim capitibus, adversus orientales Episcopos, defens. Anathemat. VIII.*

Paria nobiscum sensisse piam antiquitatem, testis est magnus Theologus, B. CHEMNITIUS, (hhh) turpiterqve lapsum Nestorium docent Patres Ephesini, tali anathemate (iii) hæresiarcham petentes: *Si quis dicere audet, hominem assumtum una cum Dei Verbo adorandum, & conglorificandum, & Deum, tanquam alterum cum altero conneminandum esse, (hunc enim intellectum particula, CUM, adjecta, perpetuo ac necessario affert) & non potius una adoratione Emanuelem honorat, unamqve illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro, anathema sit.* Sed & potentia vivificatrice Christum privasse, colligas ex eorundem Patrum anathematismo XI, ita se habente: *Si quis Domini carnem vivificam, ipsiusqve Verbi, quod ex Deo Patre est, propriam esse negaverit; sed veluti alterius cuiuspiam ipsi Verbo secundum dignitatem conjuncti, nimirum quasi divinam tantum inhabitationem sortiti, ac non potius vivificam esse dixerit, ut modo meminimus, eo quod Verbi, quod omnia vivificare potest, facta sit propria; anathema sit.*

XVII.

Tandem nec tertium Communicationis Idiomatum genus, stante Nestorii sententia, illacessitum manere potuit. Cum enim divina natura τȣ̃ λόγȣ, non tantum per inhabitationis gratiam, sed tota plenitudine personaliter inhabitet in assumta sua humana natura, quam hypostatica unione sibi propriam fecit: impium profecto cogitatu fuerit, humanam naturam Christi, in hypostatica illa unione nihil accepisse aut habere, præter essentialia sua idiomata, nihil ultra physicas suas vires, facultates, & operationes: nec potius ita statuere, divinam naturam omnia sua dona, tota plenitudine, superabundanti copia, summa & absolutissima perfectione, ultra omne nomen, numerum & mensuram contulisse. Atqvi hæc uno quasi ictu prosternit Nestorius, blaspheme statuens, Christum per humanitatem, tanquam instrumentum SEPARATUM, (kkk) actiones suas peregisse. Dignus, quem eapropter Cyrillianum anathema denuo feriret: (lll) *Si quis Jesum, tanquam hominem, a Dei Verbo agitante motum habuisse, unigenitiqve gloriam illi, tanquam alteri cuipiam ab ipso Verbo, advenisse dixerit, anathema sit.*

(hhh) *de duabus Naturis in Christo cap. XXIX.* (iii) *Anathematismo VIII Cyrilli,* ex quo deinceps, Concilii CPlitani quinti, Canon nonus constitutus est. Conf. Cyrillus *de incarnatione Unigeniti cap. 26.* & *Epistola ad Evoptium contra Theodoreti reprehensionem, Tom. III. Concill. pag. 924.* (kkk) Instrumenti vocabulo utuntur equidem & nostrates Theologi, in hoc mysterio, sed ut Humanitatem sano sensu statuant Organon Divinitatis Verbi proprium, conjunctum, imo unitum, atqve ideo personaliter assumtum. Conf. B. Chemnitium *de duabus Naturis in Christo cap. XX.* (lll) *Anathemat. VII.*

S. D. G.

NOscitur ungve leo. Vestigia clara Parentum
Mature Soboles recte animata premit.
Id tua testatur, *Respondens optime*, virtus,
Qva te præ reliquis enituisse juvat.
HENTSHELIOS utinam plures ferat inclyta LESNA:
Vivet in HENTSCHELIIS inclyta LESNA suis!

Respondenti humanissimo,
Optimi quondam Parentis haut degeneri Filio,
affect. cont. c. ser.
PRÆSES.